APPARATUS

AD

HISTORIAM SVEO-GOTHICAM CELSIANI

SECTIO SECUNDA;

QUAM CONSENSU AMPL. ORD. PHILOSOPH. LUND.
EDI CURAVERUNT

H. REUTERDAHL,
Phil. et Theol. D:r.
Præfectus Bibliothecæ Lund., Ordini Theologorum Adj.,
ET
GUSTAVUS HAQU. LJUNGGREN,
Scanus.

Die 18 Dec. 1840.

P. XLII.

LUNDÆ,
typis excudit C. Fr. Berling,
universitatis typographus.
MDCCCXL.

Aphorismi Respondentis.

I.

Jure contendere posse videmur, recentem hanc ætatem plures, quam ullam aliam, attulisse mutationes, quibns facta est tanta rerum humanarum conversio, ut parum aut nihil prorsus absit, quin omnis earum ordo sit perturbatus.

II.

Pauci tam exiguis naturæ præsidiis sunt instructi, ut diligentiam adhibentes, in arte quavis aliquantum procedere non possint.

III.

Eum qui Americam investigavit plus detrimenti quam utilitatis, regno Hispaniæ credimus attulisse.

Cap. XXV.

STATUTA CONCILII SCARENSIS A:O 1472.

Exscripsit Peringschöldius (in Diplomatario suo) ex codice quodam Upsaliensi; quem cum conferre non potuerimus, textum Peringschöldianum reddimus. Statuta non antea fuerunt edita.

Johannes dei gratia et Apostolicæ sedis gratia episcopus scarensis, universis et singulis dominis presbyteris et clericis, secularibus ac religiosis, per nostram dyecesin ubilibet constitutis, præsentibus et futuris, cujuscunque gradus, ordinis, status, dignitatis aut præeminentiæ sint vel fuerint, salutem in domino sempiternam. Ad perpetuam rei memoriam &c. constitutiones et leges facta suut et fuerunt ut humana natura coerceatur et nocendi facultas refrenetur. Ad cohibendam igitur humanam audaciam de præsenti constitutiones qvasdam vitiis et concupiscentiis in hac nostra sancta synodo decrevimus opponendas, vestigiis tam divini quam humani juris inhærentes, per quas genus humanum honeste vivat, alterum non lædat, aliis non faciat, quod sibi non velit fieri, jus suum unicuique tribuat, informetur. Cum igitur rex pacificus pia miseratione disponit subditos fore pudicos et modestos, ac ipsorum observationes, exhortationes, inhibitiones et mandata nostra cum quibusdam juris constitutionibus nobis ac vobis necessariis olim patris nostri bryniolphi præsulis scarensis, ac reverendissimorum patrum dominorum Upsalensis ecclesiæ archiepiscoporum provincialia mandata, prædecessorum nostrorum ac nostra infrascripta statuta, prohibitiones, ordinationes et mandata juxta consvetudinem ecclesiæ nostræ, publicamus, et observari inviolabiliter mandamus et notificamus, in quantum possumus et valemus omnia et singula approbamus.

Primo de divino officio ut sollicite cum omni reverentia et devotione peragatur.

In primis igitur in hac diocesana sacra synodo cum reverendis fratribus, reverendo capitulo nostro, diligente deliberatione præhabita, monemus et exhortamur in domino omnes vos sacerdotes et clericos nostrarum civitatum et dyocesis in sacris constitutos, ut secundum propheticum dictum sollicite ambuletis cum domino animadvertentes comminationem sacræ

33

scripturæ dicentis: Maledictus homo qui facit opus domini negligenter, procurantes diligentissime prout poteritis divinum officium, tam in horis canonicis, quam in singulis missis et horis beatæ Mariæ virginis et septem psalmis et vigiliis cum omni devotione et reverentia peragatis, quia qui sacris astare debet altaribus et ipsum dei filium manibus adtrectare et hostias pro peccatis offerre, prout tanti exigit dignitas officii, debet omni pollere mundicia, et displicenciæ carere nota.

De vita et honestate clericorum.

Mandamus insuper distincte præcipientes ut comessationes et ebrietates evitetis, cum ebrietas mentis inducit exilium et libidinis provocat incentivum, exhibentes vos irreprehensibiles in verbis et in moribus in conversationis honestate et vitæ sanctitate . . . . . . Sitis igitur maturi moribus differentes habitum clericalem, et his quæ vobis ex statutis clericalibus et synodalibus præcepta sunt, sollicite intendentes, ut ea, quæ laycis publicanda sunt, publiaetis, et ea quæ personas vestras et regulam conversationis vestræ contingunt continue ut filii dilecti in timore domini pro oculis deum habentes quatenus eisdem et subditis vestris et vobis defensorem contra tribulaciones horrendas quæ incumbunt et tandem pacis reformationem sentire feliciter valeatis. Item mandamus quod quilibet sacerdos coronam et tonsuram deferat congruentem sub pena trium marcharum. Insuper se in officiis ecclesiasticis et aliis sacræ scripturæ studiis exerceant diligenter.

Item præcipimus quod nequis sacerdos teneat concubinam in domo sua aut in vicinio, vel aliquam mulierem de qua poterit esse suspicio sub pœna privationis officii et beneficii, si contemtus enormitas hoc exposcat et sub pæna carceris infligenda aliis pænis atque involutationibus in statuto provinciali, at sacrorum canonum sanecionibus contra fornicationes et eorum concubinas promulgatis in suo robore semper salvis.

De Custodia Eucharitiæ.

Precipimus insuper sub pæna trium marcharum, quod eucharistia, chrisma, oleum sanctum, fons baptismalis, calices et corporalia sub munda et honesta custodia teneantur, et reliquiæ et pallæ et cetera ornamenta ecclesiæ diligenter observentur intra sacraria ecclesiastica, quæ sunt in Christo Jesu fundamenta christianæ religionis. Caveant diligenser sacer-

dotes ut consecrationem fontis, ordinem baptizandi, celebrationem missæ et præsertim consecrationem eucharistiæ, confessiones audiendas, pænitentias injungendas, benedictiones nubentium et extremam unctionem cum honesta et sancta maturitate ac ordine debito ac consveto ex antiquo fideliter et attent eperagant, omnino nihil de his quæ legenda vel facienda sunt omittentes ac inordinate agentes, in præmissis prout poenam pecuniariam aut carcerem juxta delicti qualitatem duxerint evitandam.

Corpus Dominicum tractet etiam sacerdos cum omni timore et reverentia, ut populus fidelis eorum exemplo et aspectu ad devotionem et cultum divinum provocetur et caveat diligenter sub pæna prædicta, ut vinum bonum sine corruptione et panem purum habeant pro sacrificio.

Item quod parochiani alienum ad communionem non admittant sub pena trium marcharum.

Cum autem sacerdotes ituri sunt ad infirmos in villis forensibus stola ad minimum et præcedente ministro cum lumine et campana ubi commode fieri potest corpus Christi in pixide teneant et reverenter VII preces decantantes cum letania ad infirmos accedant et moneant frequenter laycos sequentes et accurrentes, ut flexis genibus et mente devota glorificent corpus Christi.

Caveant etiam sollicite sacerdotes ne per ministros inferioris ordinis euchariastia deferatur nisi magna nec essitate et tunc per dyaconum duntaxat administretur, et quoties ipsum corpus Christi, sive ipsum chrisma pro extrema unctione de parochia detulerint, advertentur sub pœna carceris, et sub reverenti custodia habeatur, ut et ipsi ab inordinatis gulæ exercitationibus et ab inhonestis abusionibus tam verborum quam operum se præservent, illucentes ipsos infirmos, ut peccata sua elemosinis redimant et aliquid in testamento suo Ecclesiæ Cathedrali relinquant propter participationem divinorum.

Item in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus omnibus et singulis curatis et presbyteris officialibus nostris foraneis quatenus singulas concubinas curatorum per evidentiam sanctam notificautes, si amplius ab hujusmodi vicio, competenti monitione præmissa, cessare noluerint tempore paschæ habeant a sacra communione eucharistiæ segregatos, quam poenam etiam extendi volumus ad mulieres publice dissolutas, donec penitentias egerint cum proposito emendandi. Insuper viri sive mulieres; recedentes a thoro conjugii sine judicio ecclesiæ atque trausferentes se ad

castra sive curias Dominorum, sive receptacula civitatum sive villarum aut aliorum locorum terna monitione præmissa si in malicia obstinati emendari noluerint nec adulterinos amplexus relinquere, nec ad legitima matrimonia sua restauranda reverti, non tantum a perceptione eucharistiæ excludantur, verum etiam ipsis præsentibus in ecclesia divina nullatenus celebrentur, et si in malicia fuerint obstinati excommunicationis gladio feriantur.

De Baptismo.

Item præcipimus quod baptismus debita reverentia celebretur, quare magna cautela adhibeatur in prælectione verborum, scilicet: Ego te N. baptizo in nomine Patris &c. Primo autem sic baptizato in necessitate per laycum omnia sacerdos suppleat, si puer supervixerit quæ solent fieri ante immersionem et post circa ipsum puerum baptizatum. Et quia intelligimus plerosque curatorum pluries uti antiquo chrismate contra sacrorum canonum instituta, quem abusum abolere volentes in virtute sanctæ obedientiæ distincte præcipiendo mandamus sub pæna trium marcarum, quod de singulis officialitatibus et provinciis nostræ dyoceseos vel pro se in coena Domini, qui ita vicini sunt, quod hoc efficere pro ut sacrum chrisma recipiant vel statim post pascha per submissum presbyterum, proviso diligenter, quod in vigilia pentecostali fons baptismatis non nisi cum novo chrismate consecretur, sub pena trium marcarum.

De Pœnitentia.

Item præcipimus etiam ut sacerdotes frequenter moneant parochianos suos ut poeniteant et tempestive petant sacramenta, etiam circa confessiones audiendas maximam curam adhibeant et caute de circumstantiis inquirant. Circa curatos negligentes atque contemnentes ministrare sacramenta aut confessionem, dummodo super hoc requisiti et moniti fuerint, si omiserint, solvant IX marcas.

Item præcipimus ne clerici seculares sive religiosi audeant confessiones mulierum in latebris angulorum sive domibus privatis sed in communi loco ecclesiæ et suspicione carenti sedeant sacerdotes cum confessionem audiant; instituant confitentem. ymo specialiter inhibemus ne aliquis sacerdotum in casibus nobis reservatis et commissis maxime notoriis aliquem præsumat absolvere in foro pænitentiæ nisi ex speciali commissione nostra vel vicarii nostri vices nostras in hac parte gerentis.